



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

Quando induimur. Exer. 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



MANVALE,  
*Quando induimur.*

Exercitium. II.

Roman. 3. Induimini Dominum Iesum Christum.

Ibid Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Isai. 65. Induit me Dominus vestimento salutis & indumento iustitia circumdedit me.

Apocal. 3. Qui vicerit vestietur vestimentis albis.

*Consideratio.*

CONsiderabimus. Per peccatum nos obnoxios factos esse frigori, & alijsque necessitatibus corporis: inductaque nobis esse necessitatem vestimentorum. Præterea Christum Redemptorem nostrum, ut crimina nostra condigna satisfactione expiaret, nudum in ligno crucis spiritum reddidisse.

*Gratiarum actio.*

GRatias agemus Domino qui nobis largitus est, vnde corpora nostra operire, eaque à frigoris asperitate tutari possimus. Et quia nuditatem nostram spiritualem prætioso gratiæ suæ vestimento contexit.

*Confusio.*



## EXERCITIO. SPIRIT.

### *Confusio.*

**P**Vdore suffundemur, animæ nostræ nuditatem attendentes, cuius vestē primā innocētiae baptismalis dirupimus, quæ cū Dei beneficio sepe numero esset redintegrata, nos denuo eā minutim discidimus & dilacerauimus.

### *Petitio.*

**P**Recabimur Dominum, vt ei placeat hoc vestimentum restaurare, eoque & virtutum indumento nuditatem nostrā, obtegere, vt tollatur opprobriū nostrū, & anima nostra decenter adornata appareat in oculis suæ diuinæ Maiestatis.

### *Oblatio.*

**O**fferemus nos Domino, ad tolerandam amore ipsius omnem paupertatem, nuditatem & ipsam denique mortem crucis.

### *Quando lauamur.*

#### Exercitium I. I.

*Isai. 1. Lauamini, mundi estote, auferte malū cogitationum vestrarum.*

*Psal. 50. Amplius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me.*